



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. IV. De prouidentia in agendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

stum lucrifaciat. Et verè benè doctus est, qui Dei voluntatem facit, & suam voluntatem relinquit.

## CAP. IIII.

*De providentia in agendis.*

**N**ON est credendum omni verbo, nec instinctui; sed cautè & longanimiter, res est secùdùm Deum ponderanda. Proh dolor, sæpè malum faciliùs quàm bonum, de alio creditur & dicitur, ita infirmi sumus. Sed perfecti viri, non facilè credunt omni enarranti: quia sciunt infirmitatem humanam, ad malum proclivam, & in verbis satis labilem.

2 Magna sapientia, nō esse præcipientem in agendis, nec pertinaciter in propriis stare sensibus. Ad hanc etiã pertinet, non quibuslibet hominum verbis credere: nec audita vel credita, mox ad aliorū aures effundere. Cum sapiente & cōscientioso viro, cōsiliū habe: & quære potiùs à meliore instrui, quàm tuas adinventiones sequi. Bona vita, facit hominem sapientem secùdùm Deum, & expertum in multis.

A 5 tis.

1. Ioan.

4.

Gen. 8.

Iac. 3.

Pro. 19.

Pro. 17.

Prover.

12.

Pro. 15.

Eccl. I.

tis. Quantò quis in se humilior fuerit, & Deo subiectior: tantò in omnibus erit sapientior, & pacatior.

## CAP. V.

*De lectione sanctarum Scripturarum.*

**V**ERITAS est in Scripturis sanctis quærenda, nō eloquentia. Omnis Scriptura sacra, eo spiritu debet legi, quo facta est. Quærere potius debemus, vtilitatem in Scripturis, quàm subtilitatem sermonis. Ita libenter deuotos & simplices libros legere debemus, sicut altos & profundos. Non te offendat auctoritas scribentis, vtrùm parua vel magnae litteraturæ fuerit; sed amor puræ veritatis, te trahat ad legendum. Non quæras, quis hoc dixerit; sed quid dicatur, attende.

**2** Homines transeunt, sed veritas Domini manet in æternum. Sine personarum acceptione, variis modis loquitur nobis Deus. Curiositas nostra sæpè nos impedit, in lectione Scripturarum: quum volumus intelligere & discutere, vbi simpliciter esset trans-

*Pf. 116.*

*& Luca*

*21.*

*Rom. 2*

*& 10.*

*& Col.*

*3.*